

vium, et cum ipsis Foroliviensibus venit Faventiam. Porro, positis insidiis in locis congruis inter Cerrum et Cosnam [A], ducenti milites usque Durbechem insultum fecerunt. Quo Faventini audito, licet media pars militum equitasset versus [a] Imolam, tamen usque Cerrum persecuti sunt eos. Ibi vexilliferi et totum commune gressum fixerunt; at, contra [b] praecepta consulum, quidam illos usque insidias [c] sunt insectati [d]. Ex insidiis igitur prosilientes, tam pedites quam milites, nostros reverti eadem via coegerunt instanter, ipsos prosternendo, [e] capiendo atque occidendo. Apud itaque Cerrum pugnauerunt nostri cum hostibus fortissime, a media tertia usque nonam. Recedentibus quoque hostibus, campus plenus viris utrinque interemptis, equis et armis nostris remansit. Hac quidem die, non more solito, cessit Faventinis; nam plures amiserunt de suis, quam ex hostibus ceperint [f].

Quando Imola fuit obsessa.

CAP. LXXXVI.

Sub anno Dominicae [g] incarnationis MCLXXX [h], cum Bononienses et Faventini segetes et vineas Imolensium usque civitatem saepissime devastassent, multorum freti auxilio amicorum, Imolam obsederunt, intus reclusos manganis et aliis diversorum generum tormentis affligentes. Quadam igitur die, dum hostes vehementer expugnassent, milites Bononienses, tamquam viri audaces, in tantum infra moenia persecuti sunt, populo ipsos [i] nequaquam juvante [j], quod ab [k] Imolensibus separari non poterant. Quo Faventini audito, quod est mirabile dictu, ducenti pedites uno atrepto vexillo, tamquam viri ad bella recentes, praedictis festinanter succurrerunt militibus, et se inter milites et Imolenses audacissime opposcentes, amicos penitus liberaverunt; atque se ipsos, igne appposito in domibus Burgi inter se et hostes, servaverunt illesos. Milites quoque post tantum [l] periculum, Faventinis omnibus, tamquam salutem propriam servantibus, immensas gratiarum actiones reddebant ubique. Eodem vero anno Faventini apud Roccam de Mutiliano [m] XII milites Tuscanos ceperunt [n], qui ad Comitum servitium venerant.

[a] equitasset versus, C. V.; equitassent versus, C. M. — [b] at contra. Codd. sic. — [c] usque insidias. Sic Cod. M.; qui saepe habet usque, sine ad. [d] sunt insectati. Sic lego Cod. M.; sunt incitati, C. V.; sunt persecuti, Cl. Mitt. — [e] ipsos prosternendo, C. M.; ipsos prosequendo, C. V. — [f] ex hostibus ceperint, C. M.; de hostibus ceperint, C. V. [g] Sub anno dominicae, C. M.; sub anno Domini, C. V. — [h] MCLXXX. Sic C. V.; M.LXXX, C. M.; sed error amanuensis est. — [i] populo ipsos, C. M.; praelio ipsos, C. V. — [j] nequaquam juvante. Sic legendum cum Cl. Mitt.; nequoquam juvantes, Codd. — [k] quod ab, C. M.; qui ab legit Cl. Mitt. — [l] post tantum. Sic Cl. Mitt.; per tantum, C. V. — [m] Roccam de Mutiliano. Sic Codd., non aliter. — [n] Tuscanos ceperunt, C. M.; Tuscanos acceperunt, C. V.

[A] Cerrum locus est in via, quae Faventia ducit Forolivium, prope l'Osteria della mano, tribus ab urbe Faventia milliariis. Cosna vero sex milliariis a nobis distat, propior Forolivio.